

166.431

MONUMENTA LATINA
LITTERATURAM HUNGARICAM ILLUSTRANTIA

EDIDIT LADISLAUS JUHÁSZ

Tomus IV. (1472—90.), pars I., fasciculus I.

Petrus Ransanus.


MCMXXXI.

KIRÁLYI MAGYAR EGYETEMI NYOMDA, BUDAPEST

MTA
KIK



166431



Monumenta Latina Litteraturam Hungaricam Illustrantia

— Tomus IV. (1472—90.), pars I., fasciculus I. —

Petrus Ransanus.

Petrus Ransanus¹ (1428—92.) episcopus Lucerinus, orator et historicus a. 1488. (mensem Augustum fuisse suspicor) legatus Ferdinandi, regis Neapolitani ad Mathiam regem missus est, quem oratione a nobis nunc edita salutavit. Ransanus a rege impetrare voluit, ut eo mortuo Beatrix regina Hungariae spoliato iure successionis Ioanne Corvino, regis filio eligeretur. Haec oratio autem, quia nobilissimis viris praesentibus habita est, non continet, qua de causa orator venerit.

Ransanus usque ad mortem regis (die 6. mensis Aprilis, 1490.) remansit. Interea conscripsit opus historicum, quod Epitoma rerum Hungararum² nominari voluit, et Mathiae regi dedicavit, rex autem prius mortuus est, quam id tradere potuisset. Orationem funebrem super rege Albae Regali habens³ in Italiam revertitur. Codicem igitur membranaceum Bibliothecae Corvinae⁴ destinatum secum in Italiam portavit; duo-

¹ De Petro Ransano profusius scripsit: Ferdinandus Attilius: *Termini*: Pietro Ransano umanista palermitano del sec. XV. Palermo, 1915. — V.: Godofredus *Schwarz*: Recensio critica Epitomes rerum Ungaricarum auctore Petro Ranzano Siculo. Lemgoviae, 1774. — Iosephus *Huszt*: Angelus Callimachus Siculus költeménye Báthori Miklóshoz. Magyar Könyvszemle, 1929. 9—14. II.

² Post editionem Sambuci (a. 1558.). Epitome rerum Hungaricarum nominatur; nos secundum dedicationem operis ad Mathiam regem scriptam Epitoma rerum Hungararum appellari malumus.

³ Benfinius memorat (editio Caroli Andreae Bel, Lipsiae, 1771., pag. 669.), orationem non habemus.

⁴ Inter codices Bibliothecae⁷ Corvinae memorat Iosephus Fögel. (Bibliotheca Corvina. Mátyás király budai könyvtára. Irták: † Fraknoi Vilmos, Fögel József, Gulyás Pál, Hoffmann Edith. Szerkesztették: Berzeviczy Albert, Gerevich Tibor, Kollányi Ferenc. Budapest, 1927., pag. 66., cod. 62.)



bus annis post moritur. Codicem pronepos eius, Ioannes post annum 1500. regnante in Hungaria Uladislao II. Thomae (de Erdöd) archiepiscopo Strigoniensi et cardinali dedicavit⁵ donavitque.

Epitoma rerum Hungararum in hoc codice ex 37 indicibus constat, quorum primus continet orationem, opere historico igitur separari potest. Ceterum indices in opere suo, quod Annales omnium temporum inscribitur, collocavit, sed morte praeventus edere iam non potuit; in Annalibus oratio non invenitur.

De codice et editionibus⁶ orationis.

B — Budapest. Museum Nationale Hungaricum. Cod. Lat. Med. Aevi 249. — E codice complura folia deperdita sunt. — Argumentum orationis in fol. 11v; Praefatio orationis in fol. 16v; Oratio ipsa in foliis 17r—38v invenitur.

p (*p*₁ — *p*₂) — Lucas Peechi a. 1579. Tirnaviae edidit⁷ opus Ransani secundum codicem *B*. — Post hanc editionem iterum excudebatur Budae a. 1746.⁸ — Si inter duas editiones variantes lectiones apparent, editionem primam *p*₁, alteram *p*₂ significavimus. — Editio prima sine numeris paginarum excusa est, altera Argumentum orationis in pag. 299. (innum.), Orationem in pag. 1—26. continet; Praefatio orationis ex altera editione relicta est.

f — M. Florianus (recte: Florianus Mátyás) in volumine IV. (Budapestini, 1885.) operis, quod Historiae Hungaricae Fontes Domestici inscribitur, codicem *B* prelo mandavit; editiones *p*₁ et *p*₂ ignoravit. (Arg. pag. 118., Praef. pag. 122., Oratio pag. 122—33.)

h — Stephanus Hegedüs in Analectis Novis⁹ partem quandam (Praef. orat.; Orat. ^{124—140.}) secundum *p*₁ prodidit. Codicem noverat, sed non contulit.

⁵ Dedicationem partim edidit M. Florianus, o. inferius cit. p. 287—89.

⁶ Relicta oratione Epitoma Ransani ediderunt: Sambucus (1558.), Bongarsius (1600.), Schwandtner (1746., 1765., 1766.).

⁷ Epitome rerum Hungaricarum velut per indices descripta, auctore Petro Ransano.

⁸ Epitome rerum Hungaricarum velut per indices descripta, auctore Petro Ransano.

⁹ Analecta nova ad historiam renascentium in Hungaria litterarum spectantia. Ex scriptis ab Eugenio Abel relictis cum commentariis edidit partimque auxit Stephanus Hegedüs. Budapestini, 1903., pag 431—33.

PETRUS RANSANUS
ORATIO
AD MATHIAM, HUNGARORUM REGEM

Argumentum orationis.

Perpaucis ostenditur tempus adventus auctoris in Hun-¹
gariam et annotatur oratio, quam idem habuit ad divum Ma-
thiam, Hungarorum regem, divamque Beatricem reginam. Qua²
oratione explicantur causae eiusce adventus et afferuntur
nonnulla ad ipsius regis et reginae laudes pertinentia.

Praefatio orationis.

Anno salutis humanae octogesimo octavo supra millesimum et quadringentesimum missus ego sum a divo Ferdinando, Magnae Siciliae rege, ad divum Mathiam regem atque ad Beatricem, reginam Hungariae, legatus. Quibus vero de causis fuerim eo missus, aliqua ex parte explicatur oratione, quam ad eosdem principes habui, cuius hoc est exemplar.

Oratio ad Mathiam, Hungarorum regem.

Veni ad tuam praestantissimam maiestatem, Mathia, Hun-¹garorum potentissime rex, atque ad te, Beatrix, omni virtutum genere ornatissima regina. Missus, inquam, sum ipsius² verbis multa vobiscum communicaturus. Ceterum cum ex³ mandatis, quae sum expositurus, aliquot huiuscemodi sint, quae locum postulant secretiorem, ea tunc explicanda reservo, cum locum ipsum tempusque idoneum mihi pro vestra prudentia constitueritis. Nunc quoniam ornatissimus hic locus, ad⁴ quem video permultos regni huius amplissimi optimates aliosque viros magna auctoritate praestantes convenisse, merito videtur exigere, ut apud vestras maiestates a me saltem brevis habeatur oratio, fortasse rem pergratam vobis fecero, si ea, quae palam commemorari possunt, a legationis meae munere nequaquam abhorrent, in medium attulero.

Veni igitur, Christianissime rex, primum, ut te ac regi-⁵nam, uxorem tuam, Ferdinandi regis Alfonsique, liberorum eius natu maximi, Calabriae ducis, nomine salutarem ac viserem. Deinde, ut utrique vestrum congratularer pro re quidem⁶ honestissima, de qua non multo post verba faciam. Tertio, ut⁷ tuam celsitudinem, optime rex, prosequerer honore, etsi non tali, quali pro tuarum et virtutum excellentia et gestarum rerum magnitudine dignus es, tali saltem, quali te prosequi mei ingenii mediocritas poterit.

Pars prima.

Ut autem, quod primo loco me dicturum proposui, exse-⁸quar, facile profecto tibi persuadere potes, rex prudentissime, me non sine providentissimo consilio visendi tui gratia a Neapolitano regno non solum in Hungariam, verum etiam in Austriam usque venisse. Nemo vir prudens infitiri umquam⁹ posset te a Ferdinando, humanissimo benignissimoque rege, non admodum amari, diligi, coli, observari, venerari, neque enim vel cogitari vel dici vel fieri potest, ut bonus rex regem bonum, ut vir fortis ac prudens fortem prudentemque virum, ut amicus amicum, Christianus princeps principem Christia-

num, ut socer generum, ut pater filium, ut homo, cui insunt multae variaequae virtutes, hominem multis ac variis virtutum generibus eminentem non omni complectatur benevolentia. Affirmare praeterea nullus, nisi mentis inops, posset, quin¹⁰ pater filiam eandemque reginam, reginam, inquam, regni huius amplissimi et eandem tot Aragonum Hispanorumque regum ac reginarum exortam genere, eandem praeterea feminam et aetate florentem et forma insignem, eandem denique maternam, pudicissimam aliarumque virtutum omnium, quibus decet decoratas esse reginas, excellentia praestantem non ingenti prosequatur charitate. His itaque aliisque multis, quas¹¹ nimis longum esset affere, rationibus et causis Ferdinandus rex adductus, supra, quam est cuique credibile, cupit videre et te, rex inclite, et tuam istam tori consortem amantissimam, et, si facile fieri potuisset, ne dubitate, fuisset plane vel mari vel terrestri itinere ad te profectus, quo te tuaeque coniugis dulcissimo conspectu frueretur. At non tam locorum magna¹² distantia, quam malevolorum hominum maxima pravitas ei fuit impedimento, quominus ad vos visendos saltem usque Seniam, quae civitas tuo paret imperio, annavigasset. Satis¹³ enim ei esse instructorum triremium ceterorumque generum navigiorum, nemo est, qui nesciat. Non igitur vel difficultas¹⁴ itinerum vel labores atque discrimina, quae potuissent occurrere, sed Italorum discordiae Turcarumque minae ac multiplices ceterorum hostium insidiae ipsum a pleno charitatis proposito averterunt. Idem tibi velim persuadeas de Alfonso,¹⁵ Calabriae magnanimo duce. Venisset et ipse profecto saepeque numero ad vos visendos venire decrevit. Ceterum difficillimis¹⁷ bellis a multis iam annis implicitus Italia excedere sine maximo paterni sui que regni detrimento minime potuit. In quot¹⁸ autem et qualibus quantisque vitae periculis versatus sit tribus proximis annis, non tantum omnis Italia, sed omnis etiam Europa magna que pars Asiae atque Africae satis superque compertum habuere. At vero ipse magno animo virtuteque¹⁹ illa, qua mortalibus omnibus antecellit, insuperabilis universis undequaque occurrentibus hostibus restitit. Nec obstitit²⁰ tantum, sed multos etiam eorum ex paterno regno fugavit, multos armis vicit, complures, qui rebellaverant, pristino sui parentis imperio parere coegit. Nonnullos debita poena multa²¹ vit. Sed his de rebus alias, et quidem familiaris volo tecum,²² regina inclita, quae tanti viri es soror, meminisse. Nunc ad id,²³ unde parum excesseram, redeo.

Ad hoc tuum regnum, prudentissime rex, Calabriae ducis²⁴ adventum multae et quidem amoris plenae causae cohortantur. Earum erant hae praecipuae. Contracta ab ipso tecum iam²⁵ pridem affinitas, tuae multae et magnae ad caelum efferendae²⁶

virtutes. rerum praeterea a te gestarum celeberrima fama, quae per omnem terrarum orbem longe lateque vagatur, quae etiam apud Christianas omnes nationes singulari laude celebraris. Adducebatur insuper, ut regnum hoc tuum peteret ob²⁷ incredibilem in suam sororem amorem. Non enim fuerunt ipse²⁸ et regina ex patre tantum, sed ex utroque parente, hoc est, ex Ferdinando rege et Isabella regina nati, ac apud eosdem regali luxu regioque sumptu educati, qui una a primis annis in eadem regia crevere, atque una multos vitae annos transegere. Cur²⁹ igitur Alfonsus, frater eius, cum sit vir humanissimus suorumque mortalium omnium amantissimus, non debuit iure optimo moveri flagrantissimo suae sororis desiderio? Verumtamen³⁰ quod corporum praesentia neque Ferdinandus rex neque Alfonsus, Calabriae dux, facere potuerunt, voluerunt per me fieri. Ideoque me huc usque miserunt, qui utriusque vestrum³¹ maiestatem ipsorum et nomine viserem et verbis salutarem. Quamobrem benigno vos pro humanitate vestra animo, placida³² mente, iucunda fronte, sereno vultu meam hanc visitationem salutationemque suscipite. Persuadeatis autem vobis ipsum³³ Ferdinandum liberosque eius omnes ac nepotes et neptes eo esse ac fore animo in utriusque vestrum maiestatem, ut non solum vos ament incredibiliter, sed ut se ipsos etiam regnumque et fortunas eorum vobis offerant, atque ita, ut eis pro vestro arbitrio ut vestris rebus utamini. Deinde orant, quam³⁴quam eis hoc non est ambiguum, ut vos quoque sincere ipsos ametis sitque inter vos mutua et sancta atque in spiritu sancto firmiter fundata dilectio. Id si omni studio feceritis,³⁵ manebit in vobis gratia Dei et domini nostri Iesu Christi, qua decorari solent mentes animique illorum, qui sunt non simulata, sed sincera coniuncti benevolentia. Satis iam de visitatione ac salutatione; transeo hinc ad ea, quae dicere secundo³⁶ loco decreveram.

Pars secunda.

Neque paucis, neque facile explicare possem, sapientis³⁷ sime rex, quanto gaudio quantaque laetitia sit affectus Ferdinandus rex eiusque liberi nepotesque omnes, Ioanna praeterea, eius uxor, atque Hippolita dux seu, ut vocitat vulgus, ducissa Calabriae, ob affinitatem, quam cum Ioanne Galeacio, illustrissimo Mediolanensium duce, nuper contraxisti. Matrimonium namque, quo Blanca, eius soror, Ioanni filio tuo sociata est, causa erit, ut inter praeclarissimos Hungarorum Aragonumque ac Mediolanensium principes et, qui estis hodie superstites et natos natorum et, qui nascentur a vobis, sit et agendarum omnium gerendarumque rerum summa consensio et mentium atque animorum neque interrumpenda neque unquam dissolvenda coniunctio. Novum profecto charitatis vin-³⁹

culum ex eo connubio tribus iis, quarum memini, familiis caelestia numina addiderunt, si divino huic consilio audiveritis, consenseritis, acqueritis, nemo vos ab ea honestissima conjunctione separabit. Nullae mortalium vires potentiae vestrae⁴⁰ poterunt umquam obsistere. Tres hos potentatus vinculo, quod⁴¹ dixi, ita concordēs nullorum principum arma vel terrebunt vel infringent vel dissolvent vel dissipabunt. Vos interim ob-⁴²nixe hoc agite, hoc etiam diligenter vigilanterque curate, hoc omni omniumque industria atque sollertia efficite, ut tam honeste coepta coniunctio perseveret diutius. Ne facile prae-⁴³bete aures illis, qui solent inter fratres seminare discordias. Est enim id septimum inter ea, quae sacra scriptura affirmat⁴⁴ Deum maxime detestari. Et ut beati apostoli Pauli verbis utar, ⁴⁵nolite locum dare diabolo. Dignaque laude est illa divinae ⁴⁶quoque scripturae sententia, quam ego rei, de qua verba nunc facio, accommodare possum aptissime. Funiculus triplex diffi-⁴⁷cile rumpitur. Triplex funiculus vos estis, de quibus in prae-⁴⁸sentia loquor, qui numquam plane rumpemini, si, quod vestram decebit prudentiam, eritis non simulate, sed vere et sincere concordēs. Hoc vos ante omnia decebit, ut ne quid mente te-⁴⁹neatis, quod distet a labiis. Sit vobis idem velle idemque nolle; ⁵⁰sin aliter feceritis, heu, magnanimi principes, mihi credite, suas partes interponet pessimus sathanas, qui navabit operam, ut corruatis, dissipemini, infringamini, dilabamini. Recte igitur ⁵¹dixit Masinissa, Numidarum rex, apud Crispum Sallustium, historicum eloquentissimum: Concordia parvae res crescunt, discordia maximae dilabuntur. Illudque et quidem non inepte ⁵²venit in mentem, quod et brevius et multo sapientius ait humani generis salvator in evangelio secundum Lucam: Omne regnum in se ipsum divisum desolabitur. Et ut tandem ad id ⁵³veniam, cuius gratia fuerunt haec altius a me repetita, tibi, fortunatissime princeps, ob eam affinitatem, cuius paulo ante memini, optimi regis mei sui que amantissimi filii Alfonsi primogeniti nomine gratulor. Felix profecto es, qui Ioannem, fi-⁵⁴lium tuum, praestantissimae Italorum omnium familiae sociasti. Faciat te Deus avum pulchra et fortunata prole felicem. ⁵⁵Gratulor et ipsi Ioanni, cui Blanca nobilissima, pulcherrima, ⁵⁶pudicissima puella, nuptui tradita est. Sint, oro, liberi, qui tali-⁵⁷bus sint ornati virtutibus, qualibus praediti et sunt et fuerunt gloriosissimi principes, quorum genere ipsi exorti sunt. Gra-⁵⁸tulor et Blancae sponsae quamquam est absens, quae matrimonio est destinata filio Mathiae, Hungarorum regis ut potentissimi, ita et invictissimi. Spero equidem ipsum talem ⁵⁹fore, qui a parentis virtutibus nequaquam sit degeneraturus. Gratulor et tibi, o Beatrix, regina sapientissima, cui singulari ⁶⁰quodam immortalis Dei dono data est ex eo connubio tam no-

bilis filia. Gaudebit quidem atque laetabitur Blanca honestissimo contubernio tuo; sub tua laudatissima disciplina vitam aget adco oboedienter, ut semper morem tuae sit gestura voluntati. Tu vero admodum delectaberis dulci consuetudine sua, ipsa praeterea te, perinde, ac matrem, quae eam genuisset, semper et colet et observabit. E diverso tu eam diliges et amabis non minus, quam si ipsam ex tuo utero edidisses. Est enim mitissimo, ut perhibent, ingenio eisque ornata moribus ac decorata virtutibus, ut non immerito tuo sit amore et quidem vehementissimo digna. Itaque ipsa te, tu ipsam semper habebis in deliciis.

Faustum sit eiusce matrimonium, felix sit ea affinitas, fortunata sit ea coniunctio cum corporum, tum praecipue animorum. Id certo Ferdinandus rex, id liberi, id nepotes, id alii omnes, qui sunt ei cognatione affinitateque ac familiaritate coniuncti, mire et incredibiliter exoptant. Pii praeterea assiduisque precibus Dei supplicant benignitati, ut ipsi, sponsus et sponsa, eorumque posterii bene semper in hac vita beateque vivant eaque cum laeta senecta peracta aeternam, quae erit in altera vita, beatitudinem consequantur. Explicatis iam iis, quae ad salutationem et gratulationem pertinere sunt visa, hinc ad postremum coeptae mihi orationis locum me confero.

Pars tertia.

Huic parti, felicissime princeps, satis ego facerem, si tuae eminentissimae maiestati honorem ac reverentiam capite ac poplite flexo tantummodo exhiberem. Idque non solum hodierno die atque hoc in loco facerem, verum etiam semper et ubique, quoties tuam istam viderem maiestatem tuumque nomen celebrari audirem, cum sit celebratu honoratuque ac veneratu dignissimum. Nec id solum efficerem iussus a rege, a quo sum ad tuam celsitudinem missus, sed iussione quoque regis regum et domini dominantium, per quem teste divina scriptura reges regnant. Voce namque beati Petri apostoli ipse locutus, Regem, inquit, honorificate! Eiusce rei causam reddidit beatus apostolus Paulus, propterea, quod omnis potestas a Deo est, ipse namque in terris constituit reges, condit regna, distribuit imperia. Redeo iam ad id, quod dicere coeperam. Si, inquam, modo, quem explicui, te honore tantum prosequer, mihi nequaquam plane facerem satis. Satisfaciam igitur flagrantissimo desiderio meo, si aliquot praestantium virtutum tuarum laudes vel breviter attigero. Brevibus, inquam, quoniam, si cuncta mei corporis membra verterentur in linguas omnesque mei artus humana voce sonarent, nihil dignum tuis virtutibus dicerem fieretque, ut multo facilius huius orationis principium, quam finis inveniretur. Tu igitur pro humanitate

praecipua tua non dedignaberis, si pauca de tuis amplissimis laudibus attingam. Quin supplex oro, ut versari me in brevi⁸⁰ commemoratione quarundam excellentium virtutum, quibus te mortales paene omnes concelebrant, patiaris.

Magnis te possum extollere laudibus, primum quidem ex⁸¹ clarissime atque antiquissimo genere, quandoquidem maiores, quibus exortus es, a veteribus Romanis originem sine ulla dubitatione traxerunt. At vero non ab illis orti sunt, qui ex⁸² humili abiectoque ordine in civitate Romana fuere, sed ex patriciis atque primariis, id est ex ordinis senatorii viris, quorum summa fuit apud suos concives auctoritas magnaque in urbe potentia et virtus haud mediocriter commendanda. Roma⁸³ nus itaque es genere, Romanus es origine, Romanum te ac Latinum hominem nos Itali asserimus, affirmamus, praedicamus. Nec id, quod nos asserimus, tui Hungari infitiantur. Ea⁸⁴ igitur causa est, cur multi Latini generis homines in Hungaria⁸⁵ veniunt, quo videlicet te visant et veluti quoddam novum e caelo terris datum numen venerentur. Uno quippe consensu⁸⁶ Itali omnes, qui noverunt genus, unde tu exortus es, astruunt se intueri in praestantissima ista maiestate tua, veluti Troiugenam ac Romulidam aliquem ex illis veteribus, qui per haec tempora Pannoniis imperas, quibus olim Romani multis saeculis imperitavere. A Corviorum enim familia, ut prae⁸⁷ claris progenitorum tuorum constat monumentis, defluxisti. Quam rem cum alia multa, quae missa nunc facio, demon⁸⁸ strant, tum vero hoc potissimum ostenditur argumento, quod corvi imagine familiae tuae insignia condecorantur, qualia perhibent veterum fuisse Corviorum. Quod fieri non permisissent atavi tui, nisi fuissent conscii vetustae clarissimaeque⁸⁹ successionis maiorum, ex quibus tam inclitam posteritatem noverant emanasse. Testimonio quoque esse potest Corvina,⁹⁰ quae est Danubii insula, quam cognati tui dicione per diu tenuere. Quis, obsecro, dubitat eam insulam a tuis Corvinis⁹¹ clarum accepisse cognomen, ex quo tempore Magnus Flavius Constantinus instaurata urbe Byzantio Constantinopolitanum constituit imperium. Duxit tunc secum permultos e Romana⁹² nobilitate viros, quorum unicuique postea suam dedit provinciam, ut quisque illam regeret atque in Romani imperii fide teneret. In provincia autem, quae forte tunc Corvinis⁹³ fuit insula, cuius est habita mentio cuique ex se illi cognomen indidere. Ab ea tuus paternus proavus discessit, quamquam⁹⁴ insula sua erat; tradidit autem imperium cognatis suis. Fecit⁹⁵ id vir prudentissimus, quod animadvertit fore, ut paucis post diebus ea insula in Turcarum potestatem redigeretur. Habi⁹⁶ tationis suae locum delegit Transilvaniam, ubi maluit privatus vivere, quam insulae princeps videre patriam parere



hostibus Christianae religionis. Es deinde non mediocri laude⁹⁷ efferendus, quod tibi fuerunt parentes magnis ornati virtutibus. Primum autem de Elisabetta, matre tua, perpauca quidem, sed, quae fuerint mentione digna, memorabo.

Quis unquam digne laudare eam posset, cum, quicumque⁹⁹ ipsam noverunt, non dubitent affirmare nullam se novisse nostro saeculo feminam ipsa pudiciorem, constantiorem, prudentiorem, denique Christiana pietate insigniorem. Sed, ut¹⁰⁰ ceteras eius virtutes praetermittam, eo prudentia eius praecipua ostensa est, quod ipsius ope et opera consilioque ac mira et viro potius quam femina digna diligentia ad regnum pervenisti. Quamquam nulli mortalium est ambiguum, quin¹⁰¹ futura tua virtus divinae maiestati cognita ante fuerit, qua effectum est, ut constituto a sua providentia tempore commueris ad regii fastigii culmen exaltari. Quod autem benignitatis Dei de te placuerat, antequam mater suo te utero ederet, ipsa postea tacta inspirataque divinitus exsecuta est. Qua re¹⁰³ fit, ut affirmari vere possit te fuisse et caelesti miraculo et virtute tua et tuae matris prudentia ab adversariorum manibus, carcere, quo asservabaris, ereptum, ad regiae dignitatis fastigium evectum. Nonne, obsecro, o viri clarissimi, maximi¹⁰⁴ facienda ac immortalibus ad caelum usque efferenda est laudibus femina, quae sua prudentia tantum valuit, ut causam praebuerit non plane mediocrem, qua eius filius fuerit coronam regni huius nobilissimi consecutus? Satis iam de matre¹⁰⁵ dictum mihi fuerit. Transeo ad patris tui laudes immortalitate certe, id est futuris omnibus saeculis celebrando dignissimas.

Scilicet notissimum est apud plerosque rerum saeculi¹⁰⁷ nostri scriptores Ioannis Hunniatis, quem occidentalium nationum vulgus solet cognominare Ioannem Blancum, celeberrimum nomen. Is cum alia multa egregia rei bellicae a se¹⁰⁸ edita facinora, tum praecipue eo summam sibi gloriam vindicavit, quod magnam vitae suae partem in gerendis bellis pro tuenda re Christiana consumpsit. Adversus Turcas cultorum¹⁰⁹ Christi improbissimos hostes saepe dimicando quoties nostri homines fuerunt salutifero eius consilio usi, toties illos vertit in fugam vel profligavit variisque fudit cladibus. Nec facile¹¹⁰ aut paucis memorare nunc possem, quot milia ex ipsis nostri eo duce interfecerunt. E tam multis autem proeliis, quae inter¹¹¹ ipsum et Turcas commissa sunt, illud nunc venit in mentem, quod anno Christianae salutis quadragesimo quarto supra millesimum et quadringentesimum inter Hadrianopolim et Danubium commissum est. Adulescentulus ego tunc eram, cum¹¹² in urbe Florentia et in Eugenii quarti Romani pontificis curia Ioannis patris tui maxime celebrari nomen audiebam omnium-

que ore laudes tunc eius efferebantur in caelum, propterea quod ipso duce Christianus exercitus supra quadraginta milia Turcarum interemisset, tria vero et viginti milia cum ingenti et quidem omnis generis praeda cepisset. Occurrit et illud 113 magnum et atrox cruentumque certamen commissum apud Belgradum, quod oppidum tuae est dicionis, Taurinum a veteribus geographis appellatum. Venerat cum formidabili, hoc 114 est cum ducentorum milium armatorum exercitu magnus ille Turcarum tyrannus, cui Mahammeto erat nomen, qui terrori tunc erat universis nationibus Christianis. Venerat, inquam, 115 ad Hungariae fines, ut expugnato Belgrado totum hoc, quod tu possides, clarissimum regnum suae dicioni subigeret. At vero 116 strenuissimi, prudentissimi, Christianissimi tui Ioannis auspiciis nostrorum haud numerosus exercitus ingentis illius multitudinis partem cum illorum duce soluta Belgradi obsidione fugavit, partem cepit, partem occidit. Et praeter inaestimabilis pretii praedam, quam tui Ioannis milites domum adduxere, amiserunt illi tormenta omnia variae magnitudinis, bombardas eas vulgo nominamus, aliasque bellicas machinas, quibus et castellum, quod dixi, se expugnare et ceterum Hungariae regnum occupare sibi posse speraverant. Cetera parentis 118 tui mira et gloriosissima facta nunc praetermitto, tum propterea, quod nimia esset huius orationis prolixitas, tum vero, quia alio in loco ea ad memoriam posteritatis iam pridem litterarum mandavi monumentis. Parumne tibi id videtur ad 119 tuam laudem immortalemque gloriam pertinere parentem te habuisse, qui fuerit omnium suorum temporum ducum fortissimus, Christianissimus atque omnium mortalium ore ob res prudentissime felicissimeque gestas celebratissimus? Sed hae 120 fuerunt parentis tui Deo acceptissimi virtutes ac gestarum a se rerum laudes amplissimae, in quibus tu, fortunatus filius, fortunatum parentem imitatus es. Explicabo dehinc quaedam, 121 quae fuisse tibi propria satis constabit, quibus videlicet proprias tibi laudes ingentemque gloriam apud mortales comparasti.

Proprias equidem dixi, quoniam illae, quas supra commemoravi, esti ad tuam laudem aliqua ex parte pertinere, non fuisse ipsas omnino tuas affirmavero. Namque praeclaros habuisse progenitores constat bonorum improborumque hominum esse posse commune. Tuum vero esse affirmo, quod innata 124 excellenti atque versabili ingenii tui dexteritate adipisci tibi in hac vita studuisti. Adeptus quippe tibi es sapientiam, qua virtute divinarum rerum calles notitiam causarum aliarum rerum altissimas atque supremas persaepe contemplari perfacile potes. Adeptus tibi es et scientiam, qua pro tui ingenii 125 excellentia potes multa tum de caelorum et siderum, tum de

aliarum rerum naturis prompte disserere. Adeptus es prudentiam, cuius tribus illis partibus, quas ei philosophi tribuunt, in cunctis tuis negotiis uteris diligentissime. Id autem com-
pertum satis habent, qui vim tui noverunt ingenii, quando-
quidem et praeteritarum rerum nulla te capit oblivio et eas, quae instant, etiam minutissimas acute exacteque consideras et eas, quae futurae sunt, sollerter atque industrie prospicis. Nihil dico de arte, quam Aristoteles et philosophi illius sectantes
disciplinam docent esse rationem eorum, quae manu fiunt. Quis nescit eiusce virtutem fuisse te adeo eminenter
adeptum, ut nihil fieri manu possit, cuius studio ingentium praesertim ac splendide exstuentorum aedificiorum et, quae sunt magni regis magnificentia digna, non maxime delecteris? Opera ipsa a te magnificentissime partim refecta, partim repa-
rata, cum essent vetustate vel diruta vel collapsa, partim ab imis erecta fundamentis, quod dico, manifeste testantur. Nihil
vel simulate vel per assentationem loquor. Affirmant, qui viderunt, erexisse te quibusdam in locis inexpugnabiles arces, alibi regias, quibus vix habentur toto terrarum orbe similes, alibi hortos, quorum consitarum arborum est ordo pulcherri-
mus, alibi Deo dicatas aedes omni, quo decet, ornatu splendidissimas. Non facile numerari possunt pretiosae multipli-
cis generis variique coloris vestes vasaque et argentea et aurea, quae divinarum rerum usui dedicasti. Audivi praeterea
superioribus diebus, dum Viennam versus iter ad te facerem, constitui nunc a te bibliothecam ingentem et omni ex parte eximie mirificeque ornatam, in quam aiunt multa milia codicum non vilis, neque contemnendi pretii, id est, qui sint perpulchris exarati litteris, intusque et extra te et velle et iam coepisse congerere. Nihil dico de domus tuae pretiosissima
supellectile, quae tanta talisque est, ut cunctos, qui eam vident atque considerant menteque pensitant, non in mediocrem adducantur et stuporem et admirationem. Accersisti praeterea
e multis Europae locis, ex Italia praecipue multarum rerum opifices, id est fabros tum lignarios et caementarios, tum argentarios, sculptores praeterea atque pictores transcriptoresque librorum, quorum, manibus tibi fierent multorum generum opera, quae tibi et voluptati, dum vivis, et, ubi vita excesseris, essent maxima tuae magnificentiae monumenta. His, quas
dixi, virtutibus, quas peripatetici philosophi vocant intellectivas, viri sapientes, qui, quanti sis, recte pensitavere, perhibent te cunctos, qui toto orbe sunt, principes absque ulla controversia superare. De virtutibus iam, quae dicuntur morales, verba faciamus. Tua est iustitia, cuius virtutis splendor
est maximus, et, ex qua boni viri nominantur, teste oratorum principe Cicerone tantae virtutis splendor adeo in te nitet,

ut non dubitent omnes, qui te rege vitam in Hungaria ege-
 runt, ipsius cultorem te esse praecipuum, quandoquidem ius
 suum numquam alicui mortalium denegasti. Tua est fortitudo,¹⁴¹
 cuius virtutis vi res arduissimas saepenumero et agressus
 es et felicissime confecisti. Nam quae umquam gessisti bella¹⁴²
 adversus quoscumque hostes, de quibus non sis gloriosam
 adeptus victoriam? Ceterum his de rebus paulo post pauca¹⁴³
 quidem, sed, quae erunt mentione admirationeque digna, com-
 memorabo. Tua est magnanimitas, mansuetudo, modestia, tem-
 perantia, humanitas, urbanitas, veracitas. Quarum virtutum¹⁴⁴
 quanam sint munera, in Ethicis quidem ab Aristotele eru-
 dite ac locupletissime traditur, sed ipsorum numerum habere
 te et usum, qui te noverunt, universi praedicant. At vero,¹⁴⁵
 quamvis morales eiusmodi virtutes a more dicantur ideoque
 posse ipsas assequi plerisque mortalium congruat, in rege
 tamen, qui bene sapienterque vitam instituit, qualem te esse
 constat, exsplendere solent multo et excellentius et admi-
 rabilius. Nec putes me praetermisisse liberalitatem, quae virtus¹⁴⁶
 maxime tua est. Ob eius enim merita et plurima mirifi-
 corum operum exempla tuum nomen a mortalibus ubique non¹⁴⁷
 mediocriter extollitur celeberrimeque commendatur. Quippe¹⁴⁸
 si qui principes tempestate nostra ob liberalitatis opera cla-
 ram sibi vindicaverint famam, tu cunctis semper anteponeris,
 cum non modo nomine, verum etiam re ipsa omnium illorum
 unus munificentissimus ac beneficentissimus et sis et habeas.¹⁴⁹
 Tuas, inquam, sunt omnes, quarum memini, intellectus
 morisque virtutes, cum eas tu felici quodam naturae dono usu
 tibi comparaveris. Tuas, inquam, sunt, sed Beatricem reginam,¹⁵⁰
 quae adest, ut tori consortem, ita et complurium, quas attigi,
 virtutum sociam ornatissimam habes. Ut enim tu eis, quae¹⁵¹
 sunt rege dignae, virtutum laudibus cumulatus es, ita et ipsa
 illis omnibus redimita decorataque et insignis est, quas decet
 habere reginas eminentissimas. Eas ipsa mira sui ingenii¹⁵²
 magnitudine optimisque suae vitae usa magistris, quos pru-
 dentissimi parentes ei ab ineunte aetate adhibuerunt, acquisi-
 vit. Ipsa igitur virtutibus cum corporis, tum animi, quae sunt¹⁵³
 dignae reginis, tu eis, quae dignae sunt regibus, decoraris.
 Quamobrem ita vos videtur natura sociasse, ut multarum vir-¹⁵⁴
 tutum muneribus sitis paene pares. Unde fit, ut plerique non¹⁵⁵
 immerito ambigant, uter vestrum praeferri debeat cum in cete-
 ris, quarum mentionem feci, virtutum generibus, tum in eis
 praecipue, quae constant fide ac pietate sanctisque caerimo-
 niis, quae Christianae sunt religionis, cuius supra, quam dici
 potest, constat vos esse servantissimos. Sexus igitur est inter¹⁵⁶
 vos tantum, non decentium vos rerum virtutumque disparitas.
 Sed missa haec facio. Ea mihi sunt hinc paucis tamen ex-¹⁵⁷
 158

plicanda, quae et tua solum sunt et plane virilia, utpote quae te, rex fortissime, et vere regem et virum esse strenuissimum ostenderunt.

Cum primum ad regni fastigium divina, ut dixi, provi-¹⁵⁹
dentia sublimatus es, nonnulli e principibus propinquis regni
tui finibus tuam illam fortunam, perquam moleste ob invidiam
tulere. Cum itaque bellis te ingentibus atque a multis partibus¹⁶⁰
lacesserent, quo tibi regnum adimerent, tu etsi adulescens
novellusque rex tunc eras, illis tamen obviam magno animo
processisti aliquotque commissis certaminibus tandem tua
virtute superasti. Ita, inquam, et tunc et progressu postea¹⁶¹
temporum aliis proeliis superasti, ut multa, et quidem celebra
loca, quae illorum parebant imperiis, tuae dicioni subegeris
atque in hanc diem illis invitis gloriose possideas; Bosnenses
itaque et Valachi Polonique atque Bohemi, qui regni tui fines
olim invaserant indeque ulterius ingressi variis excursionibus
omnia infesta fecerant, animadvertentes, quantum armis, opibus
ac virtute valeres, movere contra te bella desiere. Tu effera-¹⁶²
tam eorum audaciam adeo compressisti, ut perterriti se nunc
domi contineant tuoque audito nomine reformident. Nihil¹⁶³
dico de bello, quod tibi fuit cum Federico Augusto, quem
vulgato verbo imperatorem vocitamus Romanorum. Illud nihi-¹⁶⁴
lominus toto est orbe notissimum te adversus tantum princi-
pem prospere glorioseque dimicasse. Eius, quod dico, testis¹⁶⁵
est Vienna, pulcherrima atque opulentissima civitas, omnis-
que Austria, quam regionem paene totam nuper tuis parere
imperiiis, quamvis bello difficili, coegisti. His itaque explicatis¹⁶⁶
reliquum mihi esset, si daretur longius ad dicendum tempus
particulatim referre, quae et qualia quotiesque felici exitu
gesseris bella adversus Turcas, quam atrociam proelia cum ea
gente commiseris, quoties ipsos profligaveris, quoties eos a
regni tui finibus pepuleris, denique quot ex eis milia intereme-
ris. Illud vero non est omnino mihi silentio praetereundum,¹⁶⁷
cum sit ubique vulgatissimum te non solum eam gentem ar-
mis persaepe vicisse, verum etiam fecisse tuae dicionis ali-
quot eorum castella et oppida, quae tu tenes adhuc Deoque
bene iuvante in posterum tui tranquille possidebunt. Ex omni-¹⁶⁸
bus autem, quae supra in multiplices laudes tuas explicui,
hoc praecipuum tuae virtuti gloriaeque tribuitur, quod inter
principes Christianos tu solus es, qui et scis et audes vincere
Turcas. Sunt quidem permulti nostrorum rei militaris scien-¹⁶⁹
tissimi duces, ignari nihilominus, quemadmodum cum ea gente
res ipsa gerenda sit, ideoque saepe obvenit, ut illi cum nostris
belligerantes fuerint victoriam assecuti. Ceterum e nostrorum¹⁷⁰
hominum numero Alfonso, Calabriae ducem, de quo habita
mentio est, semper excipiam. Ex multis enim praeclarisque¹⁷¹

victoriis, quas diversis temporibus in Italia est adeptus, illi fuit omnium maxime memorabilis, quam apud Hydruntum anno abhinc septimo assecutus est. Quos non tantum multis 172 certaminibus superavit, sed ad deditionem quoque compulsi mira quadam et numquam alias visa vel audita sollertia. Eo, 173 inquam, post te excepto tuum est et eorum, qui tuis militant auspiciis, Turcarum viribus obviam ire; eam ob rem in tua virtute tuisque conatibus ac formidanda potentia sita est spes totius rei publicae Christianae. Tu veluti murus inexpugnabilis munitumque ac validissimum es propugnaculum, quod efferatae rabiei gentis impiae atque truculentae, ne in Italiam inque ceteras occidentalium cultorum Christi regiones irruat et saeviat, obicitur. Te constituit humanae salutis auctor, 175 veluti arcem ac turrim fortitudinis a facie inimici Christianae pietatis. Namque praeter te Turcarum duces et copiae principum ducumque nostrorum formidant neminem. Quae res est 176 causa praecipua, ut cunctae Christianae nationes benignissimum Deum pro te tuisque omnibus proque amplissimi regni tui felicitate sine ulla intermissione precentur. Uno animo 178 unoque consensu atque uno ore Dei in te potentiam clementiamque glorificant, animi tui magnitudinem admirantur Dei collaudantes magnam ineffabilemque virtutem, qui hac nostra tempestate atque in tanto rerum discrimine rei Christianae consuluit malens videlicet, ut Hungarici regni administratio ad te, quam ad aliquem alium ceterorum mortalium in hac tanta ecclesiae suae necessitate perveniret.

Audisti iam, Mathia, rex humanissime, tuque, Beatrix, 179 regina praestantissima, tres adventus ad vos mei causas honestissimas. Quippe venisse me ostendi, ut Ferdinandi regis 180 sui que natu maximi filii, Alfonsi, Calabriae ducis, verbis vos salutarem ac viderem utque vobis pro novo matrimonii vinculo congratularer. Postremo, ut, quo possem, vos prosequerem 181 honore, utpote habita mentione multarum eximiarum virtutum, quibus praeditus est uterque vestrum, multarumque laudum, quarum gratia vos a mortalibus magna cum admiratione celebramini. Supplex autem divinam precor benignitatem, ut vos, 182 ad quorum celsitudinem missus ego sum, ac eos, qui me misere, et diu cum laude non ficta servet in hac vita et in altera felicitatem praestet sempiternam. Amen. 183

SCRIPTURA.

Quia omnes variantes lectiones in Annotationibus Criticis non annotavimus, ideo hanc copiam accuratissime studentibus praeberi haud inutile esse nobis videbatur, ubi in clausulis () scripsimus, quae lectiones nonnumquam vel raro numquam in manuscripto (et in editionibus) apparent. Asteriscum (*) posuimus, ubi ex ea radice derivata oriuntur (exempli gratia: auctor, auctoritas).

Vocales: *ae* (e): caementarius, caerimonia, haec, haec, paene, praepraeda, quae, saeculum, saevio; (terr)ae. — *ae* (e, oe): caelum*. — *e* (ae): celsitudo, cepi* (ex capio), certamen (certamaen), ceterum* (caeterum), clementia (claementia), coegi, e-do, egi, precor, pretium. — *e* (ae, oe): felix, femina. — *e* (i): benevolentia (benivolentia), malevolentia (malivolentia). — *i* (e): vindico (vendico). — *i* (ii): obicio (obiicio). — *i* (y): inclitus. — *oe* (e): oboedio. — *oe* (ae, e): coepi, poena, proelium. — *v* (i): Byzantium.

Consonantes: *c* (t): audacia, deliciae, dicio, provincia. — *ch* (c): pulcher*. — *ch* (ech): Valachi — *ct* (th): auctor*. — *f* (ph): Africa, Alfonsus. — *l* (ll): milia. — *ll* (l): millesimus, Sallustius, sollertia*. — *ll* (rl): supellex. — *m* (n): namque, numquam, quamquam, quamvis, quicumque, umquam, verumtamen. — *mm* (m): accommodo, communis. — *mm* (nm): committo, immeritus. — *mn* (mpn): contemno. — *nn* (dn): annavigo, annoto. — *nn* (n): connubium. — *n p* (mp): in posterum (imposterum). — *rr* (r): -errimus, terrestris, (terestris). — *s* (—): exsequor, extruo. — *t* (c): infitior, negotium, pretium, pudicitior, tertius. — *t* (ct): multo (-are). — *t* (th): torus. — *th* (t, tth): Mathias. — *tt* (t): litterae. — *Reliquimus h*: Ioannes; *n*: quoties (quotiens), toties.

ANNOTATIONES CRITICAE.

Tit. Petrus—regem *om. Bpjh*

Arg. — *Bpf* — Argumentum orationis (*titulus*) *om. Bpf*
— Perpaucis] Primo: Perpaucis *Bp₁f*, Ind. I. Perpaucis *p₂* —
2. regis *om. f*

Praef. — *Bp₁fh* — Praefatio orationis (*titulus*) *om. Bp₁f*
— 1. Magnae] Magni *Bp₁h*

Orat. — *Bpf, h* (124—149.) — Oratio—regem (*titulus*)
om. B, Index primus continens orationem authoris ad regem
Matthiam et reginam Beatricem *p*, Index I. *f* — 1. Beatrix]
Beatrix *B* — regina] (a [divo Ferdinando Siciliae rege poten-
tissimo ad vos missus) *p* — 2. sum] veni *p* — 4. a legationis]
et a legationis *f* — 5. ac reginam] et reginam *f* — uxorem *om.*
p₂ — 7. Pars prima *om. Bp*, I. *f* — 8. providentissimo] pruden-
tissimo *p* — visendi: viscendi *B* — 9. umquam] nunquam *Bp₁*
— amari, diligij] diligij, amari *f* — virum] vir *Bf* — Christianus]
ut Christianus *p* — virtutes *om. B* — 10. feminam] femineam
femineam *B* — 11. credibile] dedibile *B* — dubitate] dubita *pf*
— 13. ei *om. p* — 14. averterunt] adverterunt *Bp₁* — 20. ar-
mis] etiam armis *p₂* — 22. regina inclita] inclita regina *p* —
27. peteret] pateret *B* — 28. ac] et *f* — 29. Cur] Quor *B* —
moveri] moneri *B* — 33. et neptes *om. p* — ac fore] et fore *f*
— et fortunae] ac fortunae *p* — 34. sincere ipsos] eos sincere
f — 35. simulata] simula *p* — 36. ac] et *f* — ac salutatione
om. p — Pars secunda] II. *f* — 37. Galeacio] Galeaccio *Bf* —
40. obsistere] resistere *f* — 41. quod] quo *f* — infringent] in-
frigent *p₁* — 42. omni omniumque] omnium *f* — 43. Ne] Nec
p₂ — 47. difficile] difficillime *p* — 49. decebit] decebat *f* —
51. Masinissa] Masanissa *Bf* — 53. repetita] repetiva *p₂* —
fortunatissime] fortissime *f* — 55. fortunata] fortuna *B* —
57. Sint, oro] Signant, oro *B*, Signent, oro *p* — 58. ita et in-
victissimi *om. p* — 59. ipsum] eum *f* — 61. quidem] quidam *B*,
quondam *p* — 63. quam *om. p* — 64. perhibent] prohibent *p₁* —
67. cognatione] cognitione *Bp₁f* — mire] iure *p* — 69. Expli-
catis] Explicitis *p₁* — Pars tertia] III. *f* — 70. ac reverentiam]
et reverentiam *f* — 72. divina *om. f* — 76. honore] honorem *B*
— plane *om. f* — 77. laudes] laudem *f* — 78. artus] arctus *B*
— huius] huius *B* — 80. quarundam] quarudam *B* — patiaris]
partiaris *B* — 81. ulla *om. f* — 82. ordinis] ordinibus *p* —
summa] summam *p₁* — suos *om. f* — 83. Itali] tale *p₁* —
85. cur] quor *B* — 86. Romulidam] Romulidum *f* — imperas]
imperitas *p* — 87. monumentis] documentis *f* — 91. accepisse]
accepissae *B* — constituit] construxit *f* — 92. Romana] Roma-

nos *B*, Romanis *p* — illam] eam *p* — fide] fidem *p* — 94. imperium] imperium suum *f* — cognatis suis] suis cognatis *p* — 95. ea *om. f* — 96. Transilvaniam] regionem, quam vocant Transylvaniam *p* — 98. Elisabetta] Elizabeta *p*₁, Elizabetha *p*₂ — 99. noverunt] moverunt *B* — pudiciorem] pudicitiorem *Bpf* — constantiorem *om. f* — 101. constituto *om. p* — providentia] prudentia *p* — 102. inspirataque] inspirataque *p*₁ — 103. asservabaris] tenerabis *f* — 104. o *om. f* — ad] ac *B* — 106. futuris] futurus *B* — celebrando] celebranda *B*, celebrandas *p* — 107. Hunniatis] Hunniadis *p*₂, Huniatis *f* — Blancum] Blancam *p* — 108. vitae suae] suae vitae *p*₂ — 109. illos *om. p* — 111. quadringentesimum] quadringente-tesimum *B*, quadragesimum *p* — Hadrianopolim] Hadianopolim *Bp*₁, Hadrianopolam *p*₂ — 112. celebrari] celebrati *p*₂ — 113. certamen] certamen *B* — 114. Mahammeto] Mahumeto *p*₁, Maham — 116. strenuissimi] strenuissimi *B* — obsidione] obsessione *p* — 117. inaestimabilis] inestimabilis *Bp*₁ — eas] ea *f* — speraverant] speraverunt *f* — 119. tibi *om. p* — suorum *om. f* — Christianissimus *om. f* — celebratissimus] celebratissimas *B* — 120. Deo] viri Deo *p*, viri *f* — 124. tibi in hac vita] in hac vita tibi *f* — 125. causasque] causas *f* — altissimas] altissimum *h* — 126. et siderum] ac syderum *ph* — 128. noverunt] noverint *f* — minutissimas] munitissimas *ph* — exacteque] exacte *p*₂ — 129. illius] eius *f* — 131. collapsa] colapsa *Bh* — 133. alibi regias — similes *om. f* — 134. et argentea] argentea *f* — 136. adducantur] adducant *B*, adducat *p*₂ *f* — 137. rerum] earum *B* — et caementarios] caementarios *f* — transcriptoresque — manibus] a quibus manu (*manu om. f*) tibi transcriptoresque (*transcriptores f*) librorum *Bp**ph* — vivis] vivus *p*₁ *h* — ubi] tibi *B* — ubi vita excesseris] vita excedenti *f* maxima] maxime *Bph*, — 140. Tua est] Tua *Bph* — te esse] esse te *ph* — praecipuum] principium *Bp*₁ *h*, *om. p*₂ — 144. numerum] munerum *p*₂ *h* — et *om. ph* — 145. eiuscemodi] eiusce *ph* — posse *om. ph* — exsplendere] ex splendore *Bph*, splendere *f* — admirabilius] admirabilius remicare *ph*, laudabilius *f* — 146. praetermisisse] praetermisse *B* — 148. vindicaverint] vindicaverunt *f* — ac] et *f* — quodam] quondam *h* — 151. rege dignae] regi digna *f* — 152. sui ingenii] ingenii sui *f* — suae vitae] vitae suae *p* — 153. decoraris] decoratis *B* — 155. constant] praestant *p*₂ — sanctisque] satisque *B*, sacrisque *f* — 156. est inter vos] inter vos est *f* — vos rerum] rerum *p* — 158. hinc] hic *f* — paucis tamen] tamen paucis *f* — 159. moleste] molestae *B* — 161. Ita — superasti *om. f* — opibus] et opibus *p* — 166. His] Eis (*E* littera initialis, rubro colore picta) *B*, *p* — pepuleris] perpuleris *p* — 169. gerenda] gerenda gerenda *B* — 172. visa] vel visa *p* — 173. viribus] vitibus *B*, nisibus *f* — 178. ceterorum mortalium *om. f* — 179. ad vos mei] mei ad vos *p* — 180. vobis *om. f*.

INDEX.

- Africa* 18.
Alfonsus, Ferdinandi regis filius,
 Calabriae dux 5, 15, 29, 30, 35,
 170, 180.
Aragones 10, 38.
Aristoteles 144.
Asia 18.
Austria 8, 165.
Beatrix, uxor Mathiae regis, Arg.
 1. — Praef. 1. — 1, 60, 150, 179.
Belgradum 113, 115, 116.
Blanca, Ioannis Galeacii soror 38,
 56, 58, 61.
Blancus v. Huniades, Ioannes.
Bohemi 161.
Bosnenses 161.
Byzantium 91.
Calabria 5, 15, 24, 30, 37, 170, 180.
Christiana pietas 99, 177. — religio
 96, 155. — res 108, 178. — res
 publica 175. — salus 111.
Christianae nationes 26, 114.
Christianissimus Ioannes 116. —
 parens 119. — rex 5.
Christianus exercitus 112. — prin-
 ceps 9 (*bis*), 168.
Christus v. Iesus Christus.
Cicero, M. Tullius, 140.
Constantinopolitanum imperium 91.
Constantinus, Magnus Flavius 91.
Corvina, insula Danubii 90.
Corvini 87, 88, 91, 93.
Danubius 90, 111.
Elisabetta, mater Mathiae regis 98.
Eugenius IV., Romanus pontifex 112.
Europa 18, 137.
Federicus Augustus, imperator
 Romanorum 163.
Ferdinandus, Magnae Siciliae rex
 Praef. 1. — 5, 9, 11, 28, 30, 33,
 37, 67, 180.
Florentia 112.
Galeacius, Ioannes, Mediolanen-
 sium dux 37.
Hadrianopolis 111.
Hippolita dux, s. ducissa Cala-
 briae 37.
- Hispani* 10.
Hungari Arg. 1. — 1, 38, 58, 84.
Hungaria Arg. 1. — Praef. 1. —
 3, 85, 115, 117, 140.
Hungaricum regnum 178.
Hunniatis, v. Ioannes Hunniatis.
Hydruntum 171.
Iesus Christus 35, 109, 174.
Ioanna, Ferdinandi regis uxor 37.
Ioannes Hunniatis s. Ioannes Blan-
 cus, pater Mathiae regis 107,
 112, 116, 117.
Ioannes, Mathiae regis filius 38,
 54, 56.
Isabella, Ferdinandi regis uxor 28.
Itali 14, 54, 83.
Italia 17, 18, 137, 171, 174.
Latinum genus 85.
Latinus homo 83.
Lucas, evangelista 52.
Mahammetus, Turcarum tyrannus 114.
Masinissa, Numidarum rex 51. —
Mathias, Hungarorum rex Arg. 1.
 — Praef. 1. — 1, 58, 179.
Mediolanenses 37, 38.
Neapolitanum regnum 8.
Numidae 51.
Pannonia 86.
Paulus apostolus 45, 74.
Petrus apostolus 73.
Poloni 161.
Romana civitas 82. — nobilitas 92.
Romani 51, 86, 163.
Romanum imperium 92.
Romanus homo 83 (*ter*). — ponti-
 fex 112.
Romulida 86.
Sallustius Crispus, C. 51.
Senia 12.
Sicilia, Magna Praef. 1.
Taurinum s. Belgradum 113.
Transilvania 96.
Troiugena 86.
Turcae 14, 95, 109, 111, 112,
 114, 166, 173, 176.
Valachi 161.
Vienna 135, 165.



